DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
RUBEOLA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MATTHÆUS WALSH,

HIBERNUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD D. SCHAW ET FILIUM.

MDCCCXVII.

PATRI SUO OPTIMO,

OLIVERO WALSH,

HAS PAGINAS,

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

SACRAVIT

FILIUS.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA.

NON spes nova luce morbum præpositum collustrandi me impulit, ut hunc pro argumento seligerem: Sed statutis almæ hujus Academiæ obtemperaturus, scilicet unumquemque summos in medicina honores petentem, disputationem medicam auditorum examini subjecturum, pauca de Rubeola scribere decrevi.

Quamquam hic morbus, qui nunc per totam Europam tam vulgaris et frequens est; tamen

scriptoribus veteribus penitus ignotus esse videtur.

Rhases, Arabs medicis in rebus apprime doctus primus historiam ejus, nono circiter seculo, accurate descripsit, unde in Arabia ortum fuisse creditur.

Hic morbus constat ex febre ardentissima et contagiosa, singulis fere catarrhi indiciis, et cute deinde papulis efflorescenti ; quæ paucis diebus in squamulas furfuri similes abeunt.

Fere quotannis epidemice grassatur ; a mense Januario incipit, nec nisi salstitio æstivo jam exacto, conquiescit. Tamen hic morbus causâ admotâ, nulla anni tempestate non sevire potest. Infantes huic morbo procliviores sunt, tamen nulli ætati parcit, neque sexui, semel autem infestus, postea immunis vivit ; at alio pacto non fœtus in utero excipitur.

DEFINITIO.

A præclaro CULLENO, Rubeola ad classem Pyrexiarum, et ordinem Exanthematum, refertur ac verbis sequentibus definitur.

"Synocha contagiosa cum sternutatione,
"epiphora, et tussi sicca rauca. Quarto die
"vel paulo serius, erumpunt papulæ exiguæ,
"confertæ, vix eminentes, et post tres dies
"in squamulas furfuraceas minimas abe-
"untes."

Genus in duas species divisit, vulgarem nempe et variolodem. Rubeolæ vulgaris haud secus ac variolæ duæ cernuntur varietates: Synocha aliam, Typhus gravior alteram comitatur.

Speciem variolodem Cullenus non quod ipse viderat, sed auctore suavagesio, in nosologia recensuit; et multum dubitaret an huic generi recte pertineret necne. Gregorius noster longa experientia doctus, declarat se nullum talis morbi exemplum unquam vidisse.

HISTORIA MORBI.

Incerto ex contagione accepta die, hic morbus prodire incipit; ut Heberden vult, decimo vel decimo quarto die. Quæ vero res lege perpetua vacat; et nondum vero ratio ulla

præposita est rem per experimenta haud fallacia explorandi; et experimenta sæpenumero ad hoc propositum facta, satis, superque demonstravere sapientissimos eatiam hominum naturæ arcana conjectando rarissime detegere.

Male vero de his aut similibus conjecturis (me judice) medici operam dederint; quas natura forsan visibus humanis negaverit. Magis e re sua erit, si medici ad singulas res factas et veras de hoc morbo investigandas semet gnaviter accinxerint.

Hujus morbi historia in tria stadia plerumque dividitur: *Primo*, Eruptioni antecedens; *Secundo*, Eruptionis ipsius; *Tertio*, Desquamationis stadium.

Primo, Morbus hic incipit per notas pyrexiæ solitas; nempe rigores, et horores irregulares, anxietatem, pulsus debiles: quibus succedunt calor magnus, pulsus crebri et duri, vultus ruber, sitis avida, dolor capitis, anorexia et vomitus. Debilitas generalis adest. Vertigo et dolor vel ponderis sensus transfontem comitatur.

Secundo febris die, tussis sicca accidit, etsi haud raro ab morbi initio adfuerit, cum raucedine peculiari, gravitate tum capitis tum oculorum, sternutatione, epiphora, corysa; desiderio dormendi vel comate. Die tertio hæc omnia ingravescunt; plurimum augetur calor; pulsus frequentiores, validiores et duriores evadunt: anhelat æger; sæpe suspirat; sitis plerumque augetur; anorexia, nausea, et vomitus nunc vel primum accedunt vel si antea adfuerint, nunc graviores urgent. Dolores quoque diversarum partium præsertim pectoris, capitis, dorsi et lumborum adsunt. Incalescunt omnia membra, aret cutis, frequentius et validius pulsant arteriæ. Oculi impatientes lucis rubent et illachrimant: humor acer e naribus stillat et fauces exasperat, sternutationem molestissimam ciens, partesque supra quas effluit erodens.

Aliquando palpebræ eousque tument, ut ægrotus pene obcæcetur. Inter Hæc sanguis e naribus frequenter erumpit, et si mulier adultæ ætatis laborat, menstrua uberius solito

secernuntur; qui fluxus plerumque omnia mala lenit, et haud parum levaminis adfert.

Fauces aliquando ita inflammantur ut deglutitio dolentissima sit. Salivæ secretio multum augetur. Alvus est modo adstricta modo soluta plerumque fluit infantibus maximeque jam dentientibus, dejecta sorde viride et corrupta.

Secundo, Quarto die modo citius modo serius eruptio hujus morbi efflorescit; febre interim multum increscenti, facie tumida facta, omnibusque signis gravioribus. Primo frontem vel imam menti partem, et inde sensim faciem pene universam, maculis rubris minimis discretis, pulicum morsus referentibus occupat. Postea ubique magnitudine augentur, et sine forma propria coalescunt; nisi digito admota, cuti superiminere non percipiuntur. Deinde paulatim eruptio collum, pectus, truncum et extrema corporis pervadit. Vultui papillæ crebriores, rubor staturior, et aspredo evidentior, quam aliis partibus contingunt.

Tertio, Biduum, parum mutatum perstat

cutis eruptio; tertio autem die maculæ vultui inspersæ fuscari incipiunt; nec multo postea in squamas furfuris similes versæ abeunt. Sed semper hanc legem sequuntur ut quæ citius rubuerit, eadem quoque citius squamas exhibet.

Hoc autem tempore fluxus urinæ aliquando accidit, sed crebrius sudore fausta, vel diarrhea, vel alia evacuatione simili, terminatur. Cibi fastidium et vomitus unice cute jam papulis rubenti consopiuntur. Raro sane vomitus his accedentibus superest adeo ut SYDENHAMUS dixerit "se vomitum post eruptionem nunquam observasse."

Hæc sunt solita Rubeolæ indicia; hic cursus qui vulgo sequitur; sed in quibusdam hominibus, et variis temporibus, visa est iter huic admodum diversum tenere. Tussis per quindecim, vel viginti dies ante primum morbi stadium in infantibus aliquando vexat, et in iis Rubeola multo gravior, quam in adultis. Si tempore dentitionis infantes hic morbus occupat, convulsiones haud raro producuntur: Die quarto papulæ subrubræ uvulam, et

velum penduli palati obducentes apparent. Quo graviora sunt symptomata antecedentia, eo pejor morbus. Puerum quinquennem vidit HEBERDEN, qui tertio morbi die lethargicus factus, et die postero extinctus est. In aliis tertio die non tantum morbi notæ, quæ in cute apparent, sed etiam fere omnia ejus signa decesserunt:

Quinto morbi die, modo tussis mitior evadit, modo tussis et febris admodum urgent; quo magis hoc die pallent Rubeolæ notæ, eo melius valet morbillosus.

Sexto die fere omnes e hoc morbo evadunt nisi ii, qui hoc tempore febre graviori torquentur, donec extincti sunt. Nonnulli hoc tempore pulmonem tam afflictum habent, ut tusse fatigati demum in tabem incidunt. Glandularum tumores et alia strumæ signa Rubeolam interdum secuti sunt; in iis præsertim quibus labes heriditaria inest. Multis, post desquamationem tussis violentiâ redit, cujus irritatione lateris dolor, &c. inducuntur, et paroxysmi, ut in febre hectica, succedunt;

quæ haud raro effusionibus in thoracem, vel phthysi pulmonali, vel hæmoptysi terminant. Ophthalmia sæpissime hujus morbi sequela ingrata est.

Rubeola, ut alia exanthemata, contagionem specificam agnoscit, et tantum in cujusvis vita semel occurrit; tamen multi se hunc morbum in eodem homine recurrere vidisse affirmant. Tamen hoc loco, haud ineptum sit notare, hujus morbi speciem spuriam alquando epidemicam esse; quæ corpora morbo iterum opportuna relinquit. Quam rem quoque observavit * WILLAN, qui dicit Rubeolam sine catarrha formam morbi mitem esse videri, quæ minime opportunitatem morbi summoveat. Duo ex liberis suis in Rubeolam hujusmodi iterum incidere, et postea alios casus invenit, in quibus eruptio sine febre et catarrha abivit, et die nono cum cohorte solita malorum redivit; quæ forma, (me judicante) morbi multo frequentius sit.

---

* *Vide* on Cutaneous Diseases.

DE CAUSIS.

Rubeola inter morbos est, qui contagionem quamdam specificam agnoscant. Quomodo autem agit, aut quid qualisve sit adhuc in caligine versat. Nihil in medicina certius habemus quam quod Rubeola, haud secus ac pauci alii morbi semel tantum in decursu vitæ aliquem afficiat; sed cur hæc humani corporis dispositio ad contagionem recipiendam a morbi actione prorsus absumatur, adhuc subjudice lis est nunquam forsan componenda. Irritabilitas infantilis, Rubeolæ causa prædisponens esse videtur, qua de causa juniores quam seniores huic morbo magis obnoxii sunt.

SECTIO CADAVERIS.

In cadeveribus eorum, quos abstulit Rubeola, perscrutandis, nihil fere offendimus, quod non facile ex solitis inflammationis effectibus, accidere queat. Pulmo semper inflammationis vestigia exhibet; item iis, quos enecuit morbus, præsertim struma imbutis aut aliter phthisi pronis, animæ fistulæ tuberculis

infarciri compertæ sunt; iisque modo duris, modo exulceratis. Ob eandam rationem glandes mesentericæ, duriores et grandiores quam ex consuetudine inveniuntur. Postremo, nosse juvabit pene omnes membranas, quæ mucosæ nominantur, præcipue membranam intestinorum internam nonnunquam inflammationem incitatam subiisse comperiri. Secundum *Doctorem Vatsonium* Rubeola præsertim typhoidea viscus quodlibet internum, gangrena vel sphacelo afficit. Gangrena, frequenter in parte aliqua intestinorum invenitur, cum æger longa et putrida diarrhea laborasset.

PROGNOSIS.

De eventu futuro judicari poterit, febris comitantis natura perspecta. Febris vehemens, calor multum auctus, pulsus arteriarum durissimi ac validissimi, tussis frequens molestissima, spiritus perpetuo difficilis; omnia, eruptione facta, graviora signa, diarrhea diu urgens, raucedo, faciei intumescentia, papulæ tardius erumpentes, plus solito confluentes,

nigrescentes vel subito recedentes; hæc omnia mala sunt. Sin autem morbus solitum servet cursum, levior febris omniaque post eruptionem mitescant signa, pectoris vel lateris dolor nullus; tussis cum expectoratione copiosa; respiratio libera; cutis humida, plerumque per totum corpus sudor lenis, aut urinæ profluvium omnia omina fausta videntur.

DIAGNOSIS.

Rubeolæ initio morbi, multa symptomata sunt, aliis morbis communia; quâ de causâ ab aliis ante eruptionem haud extemplo distinguenda est. Quatuor sunt morbi, qui Rubeolæ similitudinem habent, scilicet; Variola, Scarlatina, Roseola, et fortasse Varicella.

Inter eos diagnosin paucis reddam.

Variola. Rubor oculorum, lachrymatio, humor acris e naribus stillans, sternutatio, tussis sicca et peculiariter rauca, cæteraque catarrhi signa, quibus nunquam caret Rubeola, desunt variolæ; hac tortus, longe vehementius evomit, et dolore circa ventriculum

manu prementi intento vexatur; illi cutis quarto morbi die vel paulo serius efflorescit; et biduo vel triduo in squamas abit; huic contra tertio die efflorescit, et octo diebus exactis papulæ suppurant, et plerumque cicatrices vel foveolas in cute relinquint. Post efflorescentiam in Variola, symptomata levantur; in hoc morbi stadio morbillorum sæpius aggravantur.

Scarlatina. Tumor et rubor palpebrarum, oculi madidi et illacrymantes, aliæque catarrhi notæ, Scarlatinæ semper desunt, angina, vero Rubeolæ; illi die secundo vultus et brachia efflorescunt; huic vix ante diem tertium; mentum et pectus, et quarto quintove brachia et manus rubere incipiunt. Scarlatinæ implicitis, maculæ rubriores, latiores nunquam eminentes sunt et ubique pene æqualiter corpori diffusæ. Contra Rubeolæ eruptio, incipit per maculas raras, rubras, quæ et numero et rubore augentur, et tactu elevatæ comperiuntur.

Roseola. Papularum cum catarrhi affec-

tionibus absentia, Roseolam a Rubeola satis distingueret; illi eruptio plerumque symptomatica semper non contagiosa est; huic res aliter se habent.

Varicella. Qui Varicella impliti sunt, distillatione, voce rauca, &c. eruptione die quarto apparente, carent. Postremo in Varicella febris aut lenis aut nulla est, dum papulæ, in pustulas aquoso humore plenas, convertuntur.

RATIO MEDENDI.

Rubeola specie vulgari instructa, scilicet notis acerbioribus vacua, vix medici attentionem requirat. Quod si res aliter se habent, et quum cor et arteriæ concitantur, et corpus ad inflammationes partium interiarum propendet, tum "Consulto et mature facto opus est." Duplice consilio curatio hujus morbi continetur, nimirum. 1*mo*, Diathesin phlogisticam amovere. 2*do*, Symptomata graviora levare.

Vitanda sunt omnia quæ irritant, vel stimulant, unde regimen antiphlogisticum imprimis

stricte indicatur. Inter initia igitur alvum medicamentis purgantibus lenioribus solicitare permagni intererit. Cathartica, remedia sunt, quæ in omni morbo inflammatorio, humorem tenuem e vasis eliciendo, prosunt; et sic in Rubeola non minus quam in aliis, medico spem maximam præbent. Præterea, alio et haud obscuro modo profuerunt; stimulum tollendo quod fæces induratæ, toti corpori semper addunt. Optima ad hoc consilium sales medii sunt, qui non solum intestina satis vacuefaciunt, sed et etiam corpus grate refrigerant, et vim cordis et arteriarum sedant. Vomitum quoque semel aut bis fortasse, si nausea urget, movere plerumque juvabit. Dieta tenuis et vegetabilis potius quam animalis; et potiones blande diluentes et acidulæ ad libitum porrigerentur. Calor nimius semper et uniforme nocebit, et etiam frigor eundem effectum habebit; hic symptomata catarrhalia auget et sæpe eruptionem versus pulmonem repellit; ille cor et arterias plurimum stimulat, unde febris gravior ægrum torquet. Postremo

haud silentio preteriundum est, frigus non adeo periculosum a medicis hodiernis existimari in Rubeola tractanda, ut veteribus videbatur. Cel, CURRIE primus fuit, qui fortuito affusionem frigidam quater in Rubeola adhibuerit, et semper cum felicissimo exitu.

Preteria pericula a * Doctore GREGORIO, in Edinensi, et GEORGIO MAGRATH, inter captivos in Nosocomio de MILL apud Plymouth, facta, hanc methodum medendi, utpote salutiferam et tutissimam, confirmant, probantque.

Affusio frigida, more Doctoris CURRIE, adhibeatur quam primum calor animalis longe supra modum surget, et repetenda pro re nata. Aquæ frigidæ affusio tunc adhibita arteriarum celeritatem morbidam languidiorem efficit, cutem laxat, sitis sensum ingratum sublevat, nauseam sedat, somnum inducit; ægrum plerumque gratissime afficit, et tandem febrem sæpissime omnino tollit.

---

* Audi Prælectiones.

Si in stadio eruptionis affusio frigida adhibeatur, hæc multominus rubra et evidens fit, nihilominnmus inflammationem nullam partis internæ, eatiamsi regimine frigido multum repulsa, unquam movebat; igitur tuta et efficax in Rubeola esse reperta est.

Cubiculum ægri temperei æquabilis esse oportet, lectusque quo decumbet multis stragulis non onerari.

Si notæ pulmonis inflammati aut catarrhi acerbiores opprimant, quam celerime sanguinem, icta vena, mittere, auxilio valentissimo est. Quodsi dolore pectoris et spiritu difficili minus urgentibus emplastra vesicatoria plerumque responderint.

Si æger graviter deliret, et impetus sanguinis caput versus magnus est, vasa capitis cucurbitala vel hirudinibus impositis deplenda sunt.

Quineatiam hirudinibus utendum, quoties ætas tenera aliave causa venas brachii depleri parum sinat.

Ad tussem consopiendam cæteraque ca-

tarrhi signa mitiganda, inhalentur vapores aquæ tepidæ; atque adhibeantur demulcentia oleosa et mucilaginosa ad fauces internas illinendas, nec tamen tanta copia ut ventriculum nimis onerent.

Si tussis sine levamine post desquamationem continuat, opiata cum beneficio insigni præscriberentur. Sed nequaquam morbillosis donec perstet febris inflammatoria, dare licet. Si os et fauces interiores exulcerentur, gargarismata necessaria erunt.

Si oculi multùm inflamentur lux arcenda est, et miti collyrio astringenti, sicut solutione acetitis plumbi vel zinci sæpe laventur. Si alvus profluat, finita Rubeola, non protinus auxilium medici requirit, sed si acrior et diutina sit et cor et arteriæ concitantur, sanguinem mittere prodiret, ut proposuit SYDENHAM strenuissimeque clarus GREGORIUS suadet.

Corporibus absumptorum incissis (ut supra dixi), membrana interna intestini totius gangrenæ prægressæ notas persæpe exhibuit;

quibus et omnibus equidem morbi ipsius signis perspectis, manifestum est inflammationem ejus membranæ alvum fundere; ideoque optime fluxi occurri, sanguine misso, et emplastro vesicatorio imposito.

De remediis in Rubeola cum Typho idoneis, non nobis in aprico est.

Prudentis medici est, ad signa morbi instantia semper respicere, hisque beneperspectis, pro re nata, conditioni ægri remedia aptare.

FINIS.